



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia  
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

**Turner, Robert**

**Coloniae Agrippinae, 1625**

7. Dij, omnia laboribus vendunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)



mice, si quando implicem ac permisceam officium cum natura, amorem vestrum cum amore fraterno, id conor efficere, ut vel ex duplici amore vnus amoris quasi cinnus aptus sit ac perpulchre mistus, vel Principis nostri amor totus ex illustrissimo Ernesto effluat tanquam fratre, in vos influat tanquam amicos, aut, ad coniunctionem firmiter, ex illo effluat tanquam capite, in vos influat tanquam membra.

## ROBERTI TURNERI

## ORATIO VII.

*Dij omnia laboribus vendunt.*

**C**um in omnia, quæ huius fabricæ complexu coërentur, mentis meæ aciem intendo, singulas quæ tantæ molitionis fabricator Deus nutu potius quam opera, Numine potius quam labore conglutinauit, animo comprehendo, mihi videre videor quamdam effigiem & formam tanquam penicillo depictam, ad quam tanquam exemplar Deus omnes actiones nostras voluit effingi. Nam dum cœlum motione quadam concitatissime contortum, laboreq; sempiterno agitatum, dum terram nihil fundentem, nisi immensus hominis bouisq; labor prius accesserit, dum hominem, quem natura ingenij acumine illustrauit, & mentis diuino munere cumulauit, non solum in grauioribus hebescentem, sed in leuioribus nonnunquam claudicantem, nisi in vi splendoreq; ingenij sui doctrina exornando, eloquentia poliendo, humanitateq; quasi informando omnes laboris industriæq; suæ neruos intenderit, dum nihil, in quamcunque partem mentis meæ vim intelligentiæq; notionem infixerim, vel

*Ad Dei  
opea om-  
nes actio-  
nes nostras  
dirigenda.*

vel



*Refutatio  
opinionis  
quorun-  
dam per-  
uerse.*

vel foeliciter ad humani generis vtilitatem inuentum,  
vel suauiter ad voluptatum ascitum, vel cumulate ad  
decus perfectum video, quod non labor in penitissi-  
mis naturæ recessibus prius reconditum in lucem erue-  
rit: sed vt lynceus perspicio Deum in omnibus rebul  
id agere, vt nobis insculpat nihil non dico laudabili-  
ter perfici, sed ne sapienter quidam cogitari sine labo-  
re, mentisq; intentissima cura posse. Vnde admiror  
fuisse quoddam genus hominum tam tetrum, imma-  
ne, turpissimisq; omnium flagitiorum maculis asper-  
sum, quod foelicitatem voluptate, otio & desidia desi-  
naret & metiretur, dum Deum otio marcescentem  
nulloq; labore (sic loquuntur) implicatum somniant  
Deum capite quasi oppugnare, & diuinam prudent-  
tiam, qua omnia vinxit & coagmentauit; iustitiam  
qua vniuersa temperat & regit: prudentiam, qua sin-  
gula constrinxit, communioneq; quadam amicitia  
deuinxit, non tam conuitio violare, & proscindere,  
quam ex medio tollere videretur. Nam si in voluptate  
tanquam in scopo vltimo à natura præfinito nostræ  
actiones debent hæere, iniustitiæ labe esset notandus  
Deus, qui nos doloris aculeis configit: si tum foelicitatis  
cumulum consecuti simus, quando otio obtorpesci-  
mus, quid Deo aut dici aut fingi potest crudelius, qui  
laboribus nos infestat? si desidia in rebus humanis pri-  
mas tenet, incogitantia nota supremo Numini est int-  
renda, quod omnem suauitatem amaritudine tanquam  
sale intersperfit, omnemq; voluptatem siue ex honore  
siue ex eruditione in mentes nostras effluat & illaba-  
tur, dolore contaminauit. Sed cum illa excellens præ-  
stansq; natura, ita omnibus bonis vnde quaque circum-  
fluat, omniq; perfectionis genere cumulate insignia-  
tur, ita vt nulla in eius vel actionibus macula, vel cogi-  
tatione error vnquam inhæserit, num quid tetrius  
quam tantæ naturæ, vel tenuissimam iniustitiæ aut er-  
roris sordem aspergere? Epicureum repellamus, vt  
Philo-



Philosophiæ labem ; fugiamus , vt virtutis pestem ,  
 menteq; auersemur , vt omnium flagitiorum cœnum :  
 illamq; sententiam , quam natura nobis indidit & im-  
 pressit , dies confirmauit : naturam quid cogito ? diem  
 quid dico ? quam Deus nobis instillauit , qui , tantum  
 abest , vt otio aliquid deferat , vt potius omnia velit la-  
 boribus infinitis intersepta , & difficultatibus summis  
 interclusa esse , & ( vt triuit sermo prouerbio tanquam  
 syngrapha confirmatus ) omnia laboribus vendit , &  
 hasta quasi posita addicit. Quæ sententia tam per se  
 mihi videtur manifeste vera , & enucleate manifesta ,  
 vt qui in illa cacuiat , plumbeus ; qui edisserat , otio-  
 sus prorsus videri possit. Nam cum & luce meridia-  
 na clarius appareat , naturam nihil finxisse vndequa-  
 que perfectum , sed vsino quodam more , omnia ef-  
 fudisse , vel specie horrida , vel turpitudine tetra , vel  
 imbecillitate minura , vel squalore inquinata , vel fœ-  
 tore putida , non est quisquam tam tenui cogitatio-  
 ne præditus , aut ab omni humanitate ita auersus , qui  
 non arbitretur numen diuinum vim summam quan-  
 dam latentem labori indidisse , qui quicquid natura  
 edidit , & in lucem suscepit imperfectum , squali-  
 dum , inchoatum : illud ita limer , limatumq; expo-  
 liat , vt in omnibus & singulis diuina quædam simili-  
 tudo videatur elucescere : Nam ( vt res munitissimas  
 silentio præterfiscam ) homo , cum hæc fabrica nihil  
 suis cancellis circumscribat homine præclarius , infi-  
 gnus , diuinius , quid , quæso , habet , cum primum ( vt  
 Ciceronis vtar verbis ) in hoc corporis gurgustio ha-  
 bitare inceperit , quod laudes ? quid quod admireris ? ac  
 potius quod non repellas ? quod non detesteris ? nam si  
 pulchritudinem spectes , putidissimo pudore omnia  
 inficit , sanguinea tæbe vndique squaler , ita vt videatur  
 totus ex turpitudine plus quam belluina concretus , ita  
 vt nihil tetrius : erubescio dicendo. Si foelicitatem cogi-  
 tes , clamoribus omnia complet , periculis vndiquaque  
 impli-

*Quicquid  
 natura  
 imperfe-  
 cti edidit,  
 id poluit  
 labor.*



implicatus, cum nec vires languescens cibo fulcitur, nec pericula imminencia consilio subterfugere, nec malum à bono, suaue ab amaro indita naturæ vi inter noscere possit, ita ut nihil sit eo abiectius, contremiscendo cogitando. Si prudentiam designas, in nullum non periculi irruit: matrem, in cuius visceribus miles inclusus fuerat, labore conficit, angore percellit, fimo suo (proh dolor) tanquam lutulentus sus voluntur, ut nihil sit eo stultius, nihil miserius: perhorrens scribendo. At vero postquam accesserit nutriceis laboribus postquam parentum diligentia eius vitam moribus finxerit, præceptorisq; industria mentem pietate imbuerit, habebis quod admireris, quod suspicias, in quo obstupescas. Nam membra conformatione quadam eleganter distincta modestum, vita omnibus virtutibus tanquam stellulis illuminata pium, lingua eloquentiæ ornamentis, tanquam insignibus quibusdam decorata foelicem, prudentia in naturæ mysteriis indagandis, sagacitas in excutiendis, acumen in decidendis Deum designat, & quasi loquitur. Quod cum Anacharsis triginta iam annorum curriculo in Philosophiæ studiis decurso pertentasset, omnes alios Philosophos tanquam in clarissimis hebescentes, conuictorum aculeis compungebat, qui naturam tantis laudibus ornassent & nobilitassent, & in Deos reponerent cum natura monstra ederet, labor & industria res perfecte effingeret. Qui (si recte ratiocinemur) remanet veritatem, tanquam ad calculos diligentius vocat videtur, quam ceteri omnes patrum memoria Philosophi: nam si naturæ potius, quam Deo turpissimum Ethnicismi errore implicati originem assignamus, rectius & firmiori rationis momento fulti, laborem qui omnia perfectione cumulat: quam naturam, quam omnia inchoata procreat, in Deos referre debemus. Verum cum diuinitas nostram mentem suæ lucis radiis illustravit, non est curant cum Anacharsis labore

*Anacharsis factum pulchrum.*



ORAT. VII. DE LABORE.

Si

rem in Diuorum numerum cooptemus stupidi, nec  
 ceterorum Philosophorum errore inficiamur miseri,  
 si mediam illam viam & interiectam teramus, vt ni-  
 hil arbitremur Deum humano generi elargitum fuis-  
 se, vel ad fructum vberius, vel ad pulchritudinem  
 splendidius, vel ad necessitatem conuenientius labo-  
 re, industria, sedulitate. Quod luculentius videbit is,  
 qui ignauiae labes fraudesq; inexpiabiles mente com-  
 pletus fuerit. Qua quam primum mens humana fue-  
 rit obstricta (Christe bone) quas strages edit? quae fla-  
 gitia in se admittit? Qui namque ignauiae extabuerit,  
 in omnia se flagitia ingurgitantem videmus. Menda-  
 cio inficitur, nisi manuum callum obduxisset, odio  
 flagrat, inuidia consumitur, Venere contaminatur,  
 perfidia inquinatur: quid multa? omnia tam diuini  
 quam humani Iuris repagula perrumpit, atque adeo  
 tam est prorupta audacia, vt Deum ipsum incesto ore  
 violare, maledicoq; dente infecare conetur, sed quod  
 in Tiberio est videre, qui vt affluentius voluptates  
 hauriret, homines omnibus flagitiis coopertos, &  
 mensae & vitae sibi comites asciiuit; ita vt palatium eius  
 omnibus tanquam officina quaedam nequitiae pateret,  
 Calphurinum omni Philosophiae genere insigniter  
 excultum, qui illi leges temperantiae, iustitiae, virtu-  
 tumq; omnium indixit, securi percussit. Faustam tho-  
 ri sibi vinculo copulatam, vt meretricum voluptati-  
 bus sese constringendum liberius daret, e medio sustu-  
 lit. O quantum, & quam foedum naturae monstrum  
 oratione depingo? O crudelitatem plus quam Scythi-  
 cam, non manus a caede Philosophi cohibuisse schola-  
 sticum? ab vxoris sanguine non continuisse maritum?  
 Videte, videte, quanta, quam immania scelera ex de-  
 fidia, tanquam ex equo Troiano prodierint, ita vt  
 videatur sceleri & flagitio quibus homo vitam suam  
 inquinat, poena a Deo constituta, indeq; cogno-  
 scite, clarissimeq; perspicite (nisi velitis in clarissimis

*Ignauia  
 fraudes  
 & labes.*



cæci esse) quanta utilitate labor genus humanum augeat  
& amplifcet: nam res dissidentes, maximeq; repugnan-  
tes, si copulentur, & facta collatione ob oculos firmi-  
ponantur, delucescent clarius. Quare cum otio nihil  
infestius, cuius peste literæ flaccescunt, Respubl. com-  
dunt, virtutum nervi inciduntur, non est dubitandum  
quicquid vel terra alit nobile, vel sol videt insigne, vel  
Deus fabricatus est egregium, labore è tenebris in lucem  
fuisse vindicatum, & ex industria emanasse. Quæ  
(quæso) illa animorum regina (vt loquitur Cicero)  
oratio calamistris verborum venusta, ex quo alio fonte  
effluxit, quam ex labore? Nam cum Lentulus quædam  
delitiis verborum summo labore conquiritur  
Dumarchum (vt refert quidam) in fraudem pellere  
xisset, capitis illi mulctam irrogavit Dumarchus  
nisi rationem quandam persuadendi descripsisset.  
Quæ præcepta alij subsecuti diligentius expoliuerunt  
vsque dum ad Aristotelis ætatem permanassent, quæ  
eloquentiæ rationem summo cum labore, summaq;  
mentis commentatione, præceptis & merore  
do constrixit & illigavit. Cuius artis laude Demosthenem  
dum audio cæteris omnibus antecelluisse, cæterorumq;  
omnium famam suæ gloriæ splendore obscurasse,  
id non tribuo ingenio quo pollebatur mediocri,  
neque naturæ qua valebat parum, sed labori, diligentia,  
industriaq; antelucanæ, qua (vt inquit Cicero) iniquo  
animo tulit, si non vicisset opifices. Ideoq; Demosthenis  
oratio à Pitheo lucernam olere dicebatur, quia nunquam  
ad rostra & concionem nisi præmeditatus accessit. Nisi  
in Philosophiæ intimis mysteriis idem industriæ curriculum  
defixissent Philosophi, Philosophia adhuc tenebris  
circumfusa fuisset. Quid illa longa Platonis profectio  
in Aegyptum, summo cum capitis & fortunarum periculo  
suscepta, quantam lucem Philosophiæ attulit? Nam postquam  
Aegyptiorum institutionibus

*Labor  
quasi natura  
miraculum.*

*Demosthenis oratio  
cur lucerna  
dicta.*



bus fuerat imbutus Plato, nihil in tota Philosophia fuit ita naturæ inuolucris implicatum, ita difficultatibus obstrictum, quod non & ingenio indagarit, & acumine enuclearit, & eloquentia admirabili sua perpoliuerit. Vt nihil de Aristotele dicam, qui viginti annos infinito cum labore, incredibili cum mentis consilio in Philosophia collocarat, priusquam Philosophi nomine fuit insignitus. Sed quid artes & scientias, quarum industria est mater, orationis nostræ filo persequor? quam nunc habèremus Reipubl. capeffendæ formam, belli administrandi effigiem, legum dicendarum regulam, medicinæ pertractandæ normam, nisi labor è tenebris eam afferuisset? nulla iam foret. An hisce laudibus laboris utilitas, suauitas, nobilitas tanquam regionibus & terminis circumscripta definitur? Nihil minus: nam quam late patet orbis, *Laboris utilitas per totum orbem diffusa.* tam late diffunditur & propagatur laboris & industriæ immensa utilitas, infinita suauitas, egregia nobilitas. Nam quid utilius, quam apum naturam in solitudine per omnem ætatem obseruasse, obseruatam ad nostram utilitatem traduxisse, & libris consignasse? at hoc Melissi fuit, & laboris fuit. Quid suauius, quam genus humanum per agros ferino more sparsum in ciuitatis septa inclusisse, illorumq; mores virtute effinxisse? at hoc Demadis fuit, & laboris fuit. Quid illustrius, quam totius orbis clauum tenuisse, omnium gentium neruos incidisse, solum regio diademate insignitum fuisse? at hoc Alexandri fuit, & laboris fuit. Sed quid? laboris laus labore summa quadam cum voluptate intersperso me opprimit: nam quocunque oculos meos conuerterim, vel sua me nobilitas opprimat, vel suauitas aures obtundat, vel utilitas aciem mihi mentis præstringat, vel splendor radiis suis oculos hebetet, vel magnitudo intelligentiæ meæ caliginem offundat, cuius vi & virtute effectum est, ut inchoata perpoliantur, artes vigeant, floreat lingua, virtus



tus propagetur, vitia infringantur, Rerum publ. forma  
instituantur, instituta nitantur, nixæ in omnem ære-  
ritatem durabunt, si laborem in iis reficiendis fixer-  
mus, cui Deus laudem & honorem præmium propo-  
suit & constituit, ideoq; merito dicitur, omnia que  
cunq; cæli regionibus incluserat, laboribus vendidit  
se. *Dixi.*

ROBERTI TURNERI  
ORATIO VIII.

*Nihil ignavia tetrius.*

*Contra  
rio.*

*Diligentia  
Dei donū  
prestant.*

*Sine dili-  
gentia o-  
mnia pes-  
sum eunt.*

**N**ulla res post homines natos, Auditores docti-  
fimi, siue ad gloriam clarior, siue ad virtutes  
præstantior, siue ad vitiorum fibras ipsas eu-  
lendæ nervosior, vel humano ingenio inuenta, vel di-  
uina munificentia nobis concessa fuit, quam quod illi  
opinio in animis iam omnium & singulorum inuen-  
tauerit, nullum fuisse inuentum laudabile, quod non  
ex diligentia tanquam ex fonte quodam manasse, non  
esse iam rem paulo rudiorem, quæ non diligentia tan-  
quam lima quadam perpolire, nec fore aliquid ita  
nebris oppletum, & in intimis naturæ visceribus in-  
clusum, quod diligentia è tenebris ad lucem afferere  
ex naturæ obscuritate ad humanam utilitatem vindic-  
care non possit: nam hæc siue opinio, qua imbuimur  
pij, siue sententia cui affigimur sinceri, siue naturæ in-  
ductio, qua afficimur impulsivi, efficit, vt nihil tam vi-  
deatur difficultatibus obstructum & interclusum, in  
quo assequendo, aut saltem persequendo omnes cor-  
poris labores, omnem animi commentationem & con-  
tentationem non defigamus. Vnde vsu iam venit, atque  
adeo diligentia subsidio vsu venit, vt quasunque hu-  
manæ vitæ partes animo menteq; comprehendamus  
illa